Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 211
Quelle:
Copyright:

Jeorgium (de Podiebrad) *prius regem boemorum pugnabat.* Rem ad annum 1468. 69. tangit *Aquil. Jul. Caesar* in *Annalib. Ducat. Styr.* T. III. *Vien.* 1777. f. *Stubenbergius*, et *Lichtensteinius Friderico* reduci supplices facti veniam obtinuere; *Paumkircherus quam vasto corpore, tam viribus validissimis*, ut audit *Aen. Silvio* in *Hist. Friderici Imp.* cum *Greissseneggio* capite *Graecii* plexus a. 1471. Anteriori *Codicis* Thecae adglutinata est Membrana, duabus columnis exhibens eleganti manu Sec. XIV. Fragmentum hebr. absque punctis a *Genes.* C. XVI. v. 14. ad XVII. 15.

CXXXVIII.

R. 3313 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 211. f. maj. per duas columnas admodum nitide scriptus, miniatus et literis initiorum picturatis ornatus, est, ut e clausula jam huc transferam, *Collectarius super librum psalmorum collectus et finitus per fratrem petrum de berentbals Canonicum et priorem Floressiensem premonstratensis ordinis Anno incarnationis Domini Millesimo trecentesimo septuagesimo quarto In mense Januarij die quarta.* De Viro hoc quondam sui Ordinis videri potest *Oudinus* T. III. *col.* 1218. ubi et cetera ejus Scripta, et *Collectarii* nostri Editiones refert, quarum tamen plures adnumerat *Maittairius.* Dicavit illum *Petrus Patri Reuerendo dominoque meo carissimo domino Johanni de Arkel dudum Traiecten. eccleſie nunc uero Leodien. Episcopo*, et orsus est: *Cum rem quamlibet honestatis splendore perspicuam* &c. Expositio vero ita incipit: *Beatus uir* &c. *Psalterium est quedam magna domus* &c. Tam Praefatio, quam ipsa Expositio Cento merus est, sive Catena cujus articulos subpeditavere *Cassiodorus*, *Augustinus*, *Nic. de Lira*, *Glosa*, *Hieronymus*, *Hugo Victorin. Remigius*, *Gregorius* M. &c. minio distincti, et ipse *Collector.* Finem Operi faciunt Peroratio: *Explicitus est mirabilis et decorus ordo psalmorum* &c. tum *Oratio* ad Deum, quam Librarius ridicule *Oratius* inscripsit, demum *Recommendatio libri psalmorum.* Ad calcem praeter jam supra adlata: *Finitus autem presens Liber sub anno domini Millesimo CCCCXXX. Per manus Symonis strigl vicarii chori sancti Mauricij august.* et fol. ult. *Anno domini Millesimo Quadringentesimo Quinquagesimo Tertio Venerabilis in christo pater et dominus Dominus Symon Abbas Monasterij lunelacensis comparauit hunc librum pro florenis vngaricis* XII. sane aureis. Praefuit *Simon* ab a. 1420. ad a. 1463.

CXXXIX.

Codex potissimum charteceus U. 577 mixtis membranis lat. Sec. XIV. Folior. 224. f. per duas columnas exaratus hanc pro Theca anteriore Inscriptionem συγχεονον exhibet: *Primum Volumen lecture M. Haynrici de Oyta super psalterium et continet tabulam omnium psal-*